

amicitiæ causa est. Idem cum inter conuiuas nobiles discumberet, & conuiuij Dominus, iam vino hilarior & cibo grauis vbertim sudaret, vicissimque loqueretur friuola, multa & falsa & inania, nec finem faceret, aliquandiù indignans tacitus audiuit, cunctis tandem silentio attonitis, gloriabundus ipse qui loquebatur, & quasi facundiæ laudem omnium testimonio consecutus, humentibus palmis Dantem arripit, & quid inquit, Sentifné, quod qui verum dicit non laborat? Et ille, mirabar (ait) vnde hic sudor tantus tibi.

## PETRI NAVI.

**H**ugutio Fagiolanus ætate nostra multis actus fortunę tempestatibus, ad aulam tandem memorati Canis Magni Veronensis, velut in portum aliquem fessus senex appulit, vbi magnificè exceptus, quod in illa domo præcipuum erat, non hospitis sed parentis locum tenuit. Orta autem (vt fit) super mensas semel edendi mentione, cum multi magni comestores referrentur, ab aliis expectatus Hugutio, ipse qui inter maximos habebatur, vt de se aliquid loqueretur, cœpissetque vir immensi corporis de esu suo